DEDICATIO PRIMA.

S. T.

AD PERILLUSTREM, CONSULTISSIMUM ATQUE EXCELLENTISSIMUM VIRUM

D. JOHANNEM PETRUM DE RAESFELD,

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS, cæt. CONSILIARIUM INTIMUM ET CANCELLARIUM, NUPERRIME EXTRAORDINARIUM AD PRÆPOTENTES FOEDERATI BELGII ORDINES LEGATUM, IN PRÆSENS ITIDEM, A MORTE ILLUSTRIS DE STRUNCKEDE, SUPREMI REGIMINIS REGII, IN DUCATU CLIVENSI ET COMITATU MARCANO PRÆSIDEM MULTO GRAVISSIMUM AC MERITISSIMUM, cæt.

QUoniam à Sapientiſſimis Celebrium Academiarum Conditoribus inviolabili Lege laudabiliter conſtitutum eſt, ne ulli, in quacunque Facultate, Honores ac Privilegia Doctoralia, more Majorum ſolenni conferantur; niſi Candidatus præmiſſis Examinibus conſuetis, publicisque Studiorum Primitiis, totius Ampliſſimi Senatus Academici ſententiis hoc inſigni Brabeo dignus cenſeatur: Iccirco & ego, finitis Artium ſalubrium Studiis Academicis, præſtitisque præſtandis, Gradum DOCTORIS MEDICI legitime petiturus *Diſſertationem hanc Inauguralem de nonnullis Virginum morbis* publicis typis deſcriptam in publica Virorum Eruditorum panegyri contra Adverſarios amice defendere in animum induxi. Sequar itidem haud invitus Orbis literati mores, non heri aut hodie natos, ſed ab antiquiſſimis ſeculis uſu receptos: Nimirum ſi prodeat Scriptum aliquod, omnium oculis & criſi ſubjiciendum, Auctores plerique

rique omnes de Mæcenate cogitant, itidem Erudito & Auctoritate eximio, cujus Patrocinio novellum ingenii ſui fœtum optime commendent, ut maligni livoris dentes feliciter effugiat. Fateor equidem ingenue, hasce meas Chartas, ut mole, ita & rerum pondere perquam exiguas vix mereri, ut magni alicujus Herculis tutelæ committantur: Quo tamen non obſtante, ne, ceu durus Pater, Primitias hasce meas tanquam abortum informem temere abjeciſſe videar, de PATRONO ſolicitus fui, cui easdem tuto dedicare liceret. Nunc vero totus modeſta verecundia ſuffundor, VIR PERILLUSTRIS ET EXCELLENTISSIME, quod tanta me invaſerit, temeritas dicam an audacia, an impudentia? dum ſine moroſa deliberatione animum meum ſubiit cogitatio, hanc ipſam *Diſſertationem Inauguralem* Excellentiſſimo tuo Nomini inſcribendi, &, ea qua par eſt ſubmiſſione, conſecrandi! Non ſane ignoro, primulos hosce ingenioli mei conatus nec rerum momentis, nec ſententiarum ele-

gantiis ſatis eſſe graves & perpolitos, ut TIBI placere poſſint: cum maximis cotidie Negotiis politicis, à ſummo mane ad heſperum usque diſtrictus, ad minuscula hæc & ſimilia rarius aut nunquam deſcendas. Magnum eſt & memorabile, quod in ſupremo Regimine Regio Clivenſi Conſiliarii intimi & Cancellarii axiomate cohoneſteris: Majus, quod nuper Regio nomine ad Præpotentes Fœderati Belgii Proceres Legatus, Hagæ Comitis Clementiſſimi REGIS noſtri Commoda multo graviſſima ſingulari prudentia ac vigilantia fideliſſime adminiſtraris: Longe vero maximum, quod à beata morte Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Viri L. B. DE STRUNCKEDE, inde ſumma cum laude revocatus, tanquam Digniſſimus Beati Succeſſor, Illuſtris Conſilii Regii Clivenſis ac Marcani PRÆSIDIUM, Clementiſſimi REGIS noſtri Gratia, plaudentibus Univerſis, feliciſſime obtinueris! Nunc ergo omnium oculi in TE defixi hærent, omnes EXCELLENTIAM TUAM amant, ſuſpiciunt, venerantur,

tur, omnes, TE NOVO PRÆSIDE, ſpes concipiunt ampliſſimas de REGIS & Patriæ emolumentis. Cum itaque Divina Providentia in tanto Dignitatum culmine ponaris, patere quæſo, EXCELLENTISSIME DOMINE, ut tuum quoque mihi Laborique meo Patrocinium exorem: Majora, quæ TIBI in præſens offeram, non habeo. Animum Clientis tui candidum reſpice, non muneris vilitatem; nam & mola ſalſa litant, qui tura non habent. Liberalis eſto, & fac, gratioſi tui Splendoris radiolo colluſtrer: ita omnino fiet, ut Praxis mea Medica, DEI auſpiciis ac tuo Præſidio, felicibus incrementis effloreſcat, ſimul ac Clivius Orbis intellexerit, me Clientum tuorum numero adſcriptum inſigni tuo Favore ac Gratia ſuſtineri! Hæc votorum meorum ſumma eſto. Vale VIR EXCELLENTISSIME, PATRONE MI HONORATISSIME, & vive ad extremas usque vitæ humanæ lineas, ex animi ſententia feliciter, DEO OPT. MAX. commendatiſſimus!

DEDI-